This is a reproduction of a library book that was digitized by Google as part of an ongoing effort to preserve the information in books and make it universally accessible.

Google books

https://books.google.com



HOMILIA

AD UNIVERSUM

DIOECESIS ZAGRABIENSIS

CLERUM

DICTA

IN CATHEDRALI ECCLESIA

ZAGRABIAE

XXI. MARTII MDCCXCIX.



ZAGRABIÆ,

TYPIS NOVOSZELIANIS

Digitized by Google

Vigilate, & orate, ut non intretis in tentationem.

Lucæ XXVI.

Digitized by Google



Venerabiles Fratres, & Filii Dilectissimi!

Nulla sane pars anni, nulla dies, imo ne momentum quidem est, quo divinæ erga nos misericordiæ cumulata dona possimus non sentire; ad tempus istud, hæc ipsa dies benignitatem, paternamque omnipotentis curam de salute nostra multo luculentius ostendit: celebramus quippe supremum illud tempus, quo filius Dei passione, ac morte sua redemtionis nostræ opus jamjam consummaturus prædicationem suam repetitis monitis clausit, doctrinam ad suum principium, finemque revocavit, sacram societatem a se institutam, novo thesauro ditatam, ordinavit, verbo: umbris, ac figuris ipsam veritatem substituit, & universam cœlestis regni sui, quod conditurus e sinu patris advenerat, œconomiam solo dilectionis præcepto absolutam, testamento suo, quod proprio cruore propediem firmaturus erat, amantissimus Redemtor explicuit.

Intelligitis, Venerabiles Fratres, & Filii Dilectissimi! me de illa ultima cæna loqui, quam Jesus cum Discipulis suis pridie, quam pateretur, e legis veteris instituto habuit. O quanta in sermone ejus vis! qualis in exemplo efficacia! quam augustum in nova institutione mysterium! quæ pastoris providentia de suis ovibus, ne auxilio destitutæ miserrime perirent! audimus ultima quasi morientis patris voce monentem, mandatum novum ab illo datum eo contineri, ut invicem diligamus, nec a nobis quidquam exigi, quam quod ipse suo firmavit exemplo. O vere mandatum, quo propria hominis dignitas, summum humanitatis pretium consistit. Videmus inde accinctum linteo, & majestate posita Regem Regum humilibus subditis, Dominum Dominantium abjectis servis, cæli delicium incultis piscatoribus, Magistrum discipulis, sanctum peccatoribus ministrare, & eorum pedes lavare. Eheu quam præclarum exemplum,

 unde

Digitized by Google

unde discamus quibuscunque tandem ornamentis hujus vitæ aucti, tanto magis necessariam nobis esse exinanitionem, & sinceram animi demissionem, quæ in profanis etiam moribus ad modestiæ laudem, & vitæ elegantiam refertur, quanto plura a liberali Dei manu immeriti acceptimus, eoque faciliores nos ad lavandos alter alterius pedes, id est, ad mutuam nævorum indulgentiam esse debere, quo frequentior hujus a Patre Cœlesti petendæ nos urget necessitas. Quid de cæteris Jesu Christi hac ipsa in cæna institutis loquar? quid de augustissimo mysterio corporis, & sangvinis ejus? quod nobis in cibum, & potum relinquendo tantum sane amoris argumentum exhibuit, quantum omnipotens poterat, Sapientissimus sciebat, ditissimus habebat, ut magnus Augustinus loquitur. Argumentum sane, quo mens nostra attonita reddatur, & jugi immensæ bonitatis recordatione, ac dilectione redundet. Quid porro dicam de initio ordinis nostri, cujus hodie natalem quasi diem celebramus? Dignitatem prorsus sublimem, & inefabilem, qua homines ad tractanda Dei arcana, dispensandos ejus thesauros, & salutem hominum procurandam, præ angelis, purisque spiritibus assummuntur; næ hujus recordatio dignationis nos jugiter admoneat, quam irremissa fide, diligentia, fervore tanto ministerio vacandum sit! Denique cætera dicta, & facta Jesu quid persequar? illud ingens desiderium passionis, illam pro prædictione familiarem narrationem illusionis, & contemptus publici, quo onerandus, vulnerum, & dolorum, quos suscepturus, acerbæ non minus, ac ignominiosæ mortis, qua vitam finiturus esset, hæc inquam, & reliqua immensæ bonitatis documenta, quibus ultima momenta suæ cum discipulis commorationis Deus homo consecravit, cur speciatim commemorem? sunt hæc omnino talia, ut eorum contemplatione, qui horum solemnium, & mei sermonis finis unicus esse debet, omnes quidem fideles, at nos præcipue in consortium divini Magistri propius adoptati, svavibus monitis excitati, efficacibus exemplis adjuti, & ejus, qui in finem usque dilexit nos, corpore, & sangvine roborati, jam non nobis, at Christo vivere in animum serio inducamus, neque ab ejus charitate quocunque obtentu, potestate, vi, persecutione, periculo unquam separandos esse firmiter constituamus, & confidamus etiam.

Itane! Venerabiles Fratres, & Dilectissimi Filii! Præclara sane voluntas! Propositum Deo gratissimum! sed terret nos discipulorum exemplum, qui his omnibus satiati donis, tam diuturna ad sui instructionem Magistri societate gavisi, de futuris ejus tristissimis fatis plane admoniti, imo in carcerem, & mortem cum Domino ire parati paulo deinceps, cum patienti adesse, dolores ejus lenire, despectum ab omnibus colere, & observare, in officio gratitudinis maxime erat, infirmitatis propriæ victimæ jam altum dormiunt Magistro in anxietatem, ac mortis angustias delapso,

adve-

Digitized by Google

adveniente autem turba fugiunt, dilabuntur, Magiſtrum abnegant, timidi, & latitantes, quia futurorum curioſi, de longe ſequuntur.

Præſcius omnium monuerat eos Jeſus identidem, &, quam antea ſæpenumero inculcaverat, neceſſitatem orationis continuæ, quaſi increpantis more repetiit, & continuo quærentibus inimicis occurrere perexit. *Vigilate*, inquit, *& orate, ut non intretis in tentationem.* (a)

Agite jam, Venerabiles Fratres, & Filii Dilectiſſimi! miſerationis divinæ hodierna die facti participes, poſtquam paucis Cænæ Domini, poſtremi, quod Divino Magiſtro cum dilectis Diſcipulis fuit, conſortii adjuncta ſpiritualis ſolatii, & fructus cauſa ſimplici recordatione ad animum retulimus, monitum quoque illius paſſionem jam occipientis ultimum paucis, & ſummis duntaxat capitibus meditemur, quippe & debilitatis noſtræ, cui ſemper ſuccurrendum ſit, conſcii, & ſacri temporis, quo præcipue orationi vacandum, recordatione animati.

Novimus Dominum in evangelio & modum orationis, & frequentiam diſcipulis ſuis inculcaviſſe, ubi enim docuiſſet non multiloquio, at mentis, (b) cordisque elevatione, & filiali confidentia erga Patrem cœleſtem gratam Deo orationem peragi, ſæpe repetitas de hoc religionis actu monitiones brevi, at gratiſſima ſententia abſolvit, *oportet*, inquit, *ſemper orare, & nunquam deficere*, (c) tres autem cauſæ præcipuæ nobis ſunt frequentis orationis. *Prima:* imbecillitas hominis, *altera:* conditio Sacerdotis, *Denum:* neceſſitas populi ſemper, ſed inprimis hujus temporis grandis calamitas, & perturbatio: de ſingulis pauca recordemur.

Magna profecto eſt vis gratiæ, quæ tibi per manuum impoſitionem obtigit, Sacerdos! at non ideo, quod ſacris altaribus propior ſis effectus, continuo etiam imbecillitatem refectam habes, nec, quæ damnatæ in Adamo ſtirpis hæreditas eſt, prava inclinatione omnino liberum te ſentis; imo ſentis, ut olim vas electionis Paulus, & multo amplius experiris, quam Paulus, *aliam legem in membris tuis, repugnantem legi mentis, & captivantem* (d) in obſequio peccati. Verſaris in medio ſæculi, in quo regnat concupiſcentia carnis, concupiſcentia oculorum, ſuperbia vitæ. Quales in momento occaſiones adeundæ? quot pugnæ ſuſtinendæ? quanta pericula ſubeunda? Hæc ſi tecum ipſo reputes, ingemiſcere ſubit cum laudato gentium Doctore: *infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus?* & reſpondebis quidem tibimet ipſi, ut ille, *gratia Dei*

)(3 *per*

(a) Lucæ 26. (b) Matth. 6. (c) Lucæ 18. (d) Rom. 7.

Digitized by Google

per Jesum Christum Dominum nostrum. At tantum Dei donum, quo tutus consistas, ab oratione repetendum esse, cum eodem concludes. *Sine intermissione orate, in omnibus gratias agite, hæc est enim voluntas Dei in Christo Jesu in omnibus vobis.* (e) Ita est; Venerabiles Fratres! & Filii Dilectissimi! Et ut resistamus tantis, quæ nos circumdant, periculis, continuo optimi numinis auxilium ardenter invocandum est, & ubi hæc feliciter superare evenit, eidem, in quo solo omnia possumus, tenerrimæ gratiæ agendæ sunt.

Atque hinc intelligimus, quorsum pertineant illa, quibus ad instantem orationem nos excitat Salvator, & amici ad amicum media nocte euntis, & viduæ se se ab injusto judice multa cum importunitate vindicari petentis, & tempestatis in mari exortæ, postea vero vocis imperio sedatæ, exempla. Scilicet docere nos voluit Magister Divinus, tanta nobis quoque opus esse perseverantia in oratione, quia par illi, quæ allatis exemplis indicatur, opis Divinæ obtinendæ nullo non tempore nos premit necessitas, quia & corporis, & animæ bona precatione obtineri, universa veteris fœderis historia, exemplum centurionis actorum capite 10. descriptum, & primitias gentium vocationis complectens, uti & sexcenta alia demonstrant, ut eopropter spiritum legis evangelicæ lapso homini medelam præscribentis divus Chrysostomus expresserit, dum dixit: *Arbitror cunctis esse manifestum, quod simpliciter impossibile sit absque precationis præsidio cum virtute degere, cumque hac hujus vitæ cursum peragere.* (f) Audis hæc sacerdos, si quis forte adesse ades, qui officium hoc religionis tui omnino negligis, aliis certe occupationibus postponere a te perquam facile impetras; Audis, inquam, orationem universim omnibus virtutis præsidium esse.

Atqui hoc præsidio te, sacris initiatum, minus, quam profani ordinis homines, carere posse; majori te orationi vacandi & necessitate, & præcepto teneri, res perinde explorata est.

Quid enim est Sacerdos? Ego eum ex munere suo Angelum reputo, cujus sit juxta aram templi stare, tenere thuribulum multo incenso, & aromatibus refertum, ut jugiter ascendat fumus in conspectu Dei. Ordinis nostri typum, & Presbyterorum officium referre videntur in apocalypsi a Joanne visi *viginti quatuor Seniores, qui ceciderunt coram agno habentes singuli citharas, & phialas aureas plenas odoramentorum, quæ sunt orationes Sanctorum.* (g) Quamquam cur figuris utar? *Ministri Dei sumus*, ut Paulus loquitur; An Ministrorum non est, quod profani maximi hono-

(e) 1. ad Thess. c. 5. (f) L. 1. de orat. (g) Apocalypf. c. 5.

Digitized by Google

honoris, & fortunæ loco habent, ad Regem sæpe adire, ejus colloquium expetere, eum coram venerari, omnibusque officiis prosequi? Pars melior Ecclesiæ ex indole Sacerdotii sumus, quippe curis, & negotiis seculi maxime omnium liberi, honesto vitæ modo donati, an non ad imitationem eorum beatorum Ecclesiæ triumphantis civium Deum continuo laudantium nos quoque pro Ecclesia militante, quantum peregrinorum ratio admittit, frequens Altissimo obsequium præstemus? *Dispensatores mysteriorum Dei sumus, & legatione pro Christo fungimur,* (h) ut idem Apostolus ait: unde, amabo, unde omnes hujus alti & perdificilis muneris partes ordiri nos oportet, ut iis e nutu, ac beneplacito Domini, utilitateque nostra, & aliorum defungi valeamus? Docuerunt nos Patres nostri, sancti Apostoli, docuit author, & Princeps Sacerdotii Jesus Christus. Legite actus Apostolorum, nihil a sancto illo collegio unquam susceptum, quin fervens oratio præcederet. Eligendus fuit pro Juda prævaricatore Apostolus, a Domino, quem elegerit, ostendi petierunt. Segregandi erant Barnabas, & Paulus in opus ministerii, precatione facta eos dimiserunt. Et ne plura adferam, percurrite cætera in eodem libro exarata, pervolvite omnes epistolas Pauli, & comperietis, discipulos Domini generatim tali in schola institutos, tantis Magistri sui exemplis animatos, tot charismatibus Divini Spiritus roboratos, adeo nihilominus grave ministerium suum reputasse, ut frequentia, & fervore precum opem divinam provocaverint. *Nos*, ajunt de se ipsis, *orationi & ministerio verbi instantes erimus.* Notate: *orationem, & ministerium verbi* ita conjuncta habuisse Apostolos, ut posterius sine priori impleri non posse videretur, ex quo suapte sequitur, Sacerdoti, æque ad salutem populi ordinato, cui tamen Apostolico muneri aut nunquam, aut raro vacare datum est, intensione, & frequentia precum eam vocationis partem supplendam esse. Porro si in magnum gentium Apostolum, in cujus scriptis consilia a præceptis vitæ Christianæ, & Sacerdotalis clare distingvuntur, oculos convertamus, non modo ipse precibus quam diligentissime vacaverit, sed fidelium etiam omnium, ad quos scribebat, aut pro concione dicebat, communes ad Deum suplicationes instanter expetiverit. Addite, cujus paulo ante memini, Dei hominis consuetudinem, unde suam Apostoli derivarunt. Ipse hic Author, & exemplar Sacerdotii perfectissimum, qui semper orandum, & nunquam ab oratione deficiendum palam docebat, singulari prorsus studio exercitium orationis adhibuit, nunc in solitudinem, & abdita loca orationis causa secedens, nunc in oratione Dei pernoctans, nunc templum summo diluculo ad orandum subiens, nunc turbis circumdatus oculos versus cœlum elevans, & cœlestem Patrem orans, nos præcipue Sacerdotes suo exemplo admonens, quanta in vocatione nostra insit & suapte necessi-

(h) 1. ad chor. c. 4. 2. ad chor. c. 5.

Digitized by Google

cessitas, & obligatio ad Deum jugiter humili precatione confugiendi. Inde est, quod Sanctus Carolus Boromæus, Gloria Præsulum, cum cætera omnia ad rectam clericorum electionem pertinentia juxta Spiritum evangelicæ, & ecclesiasticæ regulæ ordinaverit, tum illud examinatoribus diserte præceperit, ut cognoscant: *an ordinandus in orationis Sanctæ studio usuque versatus sit?* (i) Hæc cogita Sacerdos, qui ad ordinis tui functiones nulla premissa oratione, nulla proinde mentis, animique præparatione accedis, qui tremendum Altaris sacrificium deproperando perficis, qui precationis tædio afficeris, hæc, inquam, cogita, quæve tua sit sors, quam deplorandus status e doctrina, ac exemplis Jesu Christi, & Apostolorum, & Ecclesiæ Catholicæ sensu conclude.

Ad necessitatem populi quod spectat, unde in ordinem nostrum assidue precandi obligationem etiam derivari superius monui, etsi plura dicenda occurrerent, paucis tamen rem absolvere contendam. Nemini nostrum ignotum esse potest, institutionem Sacerdotii jam in antiquo fœdere eo pertinuisse, ut præter sacrificia, & legis doctrinam, Sacerdos pro suis, & populi peccatis Dominum deprecaretur, & pro communi salute vota faceret, id quod & Paulus ad Hæbreos scribens, paucis definivit. (k) Illustre hujus Sacerdotalis officii documentum nobis summus Sacerdos reliquit in ea celebri precatione, quam in evangelio legimus. (l) Hanc Divus Augustinus exemplar vocat, ad quod preces suas Sacerdotes exigere debent, ut quemadmodum Dominus pro iis, quos dedit ei Pater, intense oravit, &, ne quemquam illorum perderet, verum omnes salvi fierent, magno affectu a Patre postulavit, ita ministri ejusdem constituti vice Christi apud Deum intercessores pretium vel unius animæ secum reputantes pro fratribus suis, quo majori possent, ardore & diligentia precarentur, & necessitates communes divinæ benignitati commendarent. Revera solemnem fuisse veteribus hujus exempli a Jesu relicti imitationem monumentis ratum est. Sæpe laudatus Apostolus ad discipulum suum scribens, cum cætera monendo commendaret, de oratione loquens intensione sermonis utitur, & ad explicandam magnitudinem desiderii sui: *obsecro*, inquit, *obsecro primum omnium fieri obsecrationes, orationes, postulationes, gratiarum actiones pro omnibus hominibus: pro Regibus, & omnibus, qui in sublimitate sunt, ut quietam, & tranquillam vitam agamus in omni pietate, & castitate.* (m) Quibus præmissis addit causam Apostolus, efficaciam verbis suis procuraturus, *hoc enim bonum est, & acceptum coram Salvatore nostro Deo.* Unum adhuc missis cæteris, ne in re alioquin explorata, & in reli-

(i) Conc. Med. 5. (k) ad Hæbr. c. 5. (l) Joan. c. 17. (m) 1. ad Timoth. c. 2.

Digitized by Google

religionis nostræ constitutis fundata longius immoremur, in medium proferre liceat priscæ pietatis argumentum; *Oramus*, (n) ait Tertulianus, *pro omnibus Imperatoribus, vitam illis prolixam, Imperium securum, domum tutam, exercitus fortes, Senatum fidelem, populum probum, orbem quietum, & quæcunque hominis, & Cæsaris vota sunt.* (†) O præclarum, sublimemque Christianæ Religionis Spiritum! o legem vere divinam, cujus assectas, si vere fideles sint, solertia humanitatis præstantes, probitatis tenaciores, ad omnia privata, & socialis vitæ officia promtiores, pacis, concordiæ, tranquillitatis magis studiosos reddi oportet, quam ullo Philosophiæ, humanæque prudentiæ instituto, ut pœnarum etiam temporalium timore obtineri unquam possit. (††) Sed de hoc alias. Ad materiam sermonis nostri redeundo, illam primis Christianis insitam de communi omnium interna, externave salute curam, quæ eos ad preces ex animo fundendas tam propensos efecit, in memoriam paulisper revocantes, an non virtutem eorum nos unctos Domini, & propter participationem sacræ potestatis, plebem sanctam, populum aquisitionis, regale sacerdotium, nos, inquam, tali honore auctos sin superare, certe, quam diligentissime æmulari, & in oratione humili, ac fervida perseverantes esse oportet. Ah, Fratres, & Filii mei! lachrymis deploranda esset Sacerdotis levitas, vel socordia, quem habitu Ecclesiastico indutum, signis Sacerdotii insignitum, atque ideo legum beneficio, ac decore gaudentem, portione Christi victitantem, Spiritu

---

(n) In Apolog. c. 30.

(†) Exstat in Historia Ecclesiastica ab Eusebio conscripta L. 4. c. 20. insigne pietatis Constantini Imp. monumentum, in celebri ejusdem oratione ad Sanctorum cœtum; sed illud est prorsus singulare, quod militibus suis specialem precationis formulam præscripserit in hæc verba.

Formæ precationis a Constantino militibus traditæ.

Te solum agnoscimus Deum; Te Regem profitemur, Te adjutorem invocamus, tui muneris est, quod victorias retulimus, quod hostes superavimus. Tibi omnes supplicamus; utque Imperatorem nostrum Constantinum una cum piissimis ejus liberis incolumem, & victorem diutissime nobis serves, rogamus.

(††) Cuperem, ut zoili religionis Catholicæ, qui quidem sint omni sobria scientia destituti, nam hi, ut Catholica Beati Judæ epistola v. 10. habet, *quæcunque quidem ignorant, blasphæmant, quæcunque autem naturaliter tamquam muta animalia norunt, in his corrumpuntur*, cuperem, inquam, ut legerent in Montesquieu L'esprit de Loix, authore ipsis minime suspecto, pauca illa, quæ de religionis Christianæ in politicam Regnorum felicitatem, ac tranquillitatem influxu, non minus docte, ac vere scripsit.

Digitized by Google

tu nihilominus Sacerdotii, id est, Spiritu orationis destitui, per summam infelicitatem evenisset.

Triste hoc semper alias foret, sed infelici hac nostra ætate longe tristissimum. Vivimus quippe, quis nescit? tantæ, nec in temporum præteritorum historia uspiam notatæ, calamitatis, quæ non in Europam modo fere totam, sed in alias quoque orbis partes prolata est, nondum sane victimæ, quod singulari Dei dono acceptum referamus, at testes tamen, & justissimi doloris participes. Intus timores, foris pugnæ nos circumdant; &, nisi omnem sensum humanitatis ponamus, etiam perturbare debent; ut ut enim confidere liceret, hanc ædem sacram, has aras a direptione, & profanatione, quam major orbis nostri pars attonita, & pene dolore tabescens vidit, lares nostros, & nos ipsos omni discrimine liberos, patriam nostram a vastitate, incendio, desolatione servatum iri, ut hæc, inquam, vera etiam supponamus, quæ tamen incomprehensibilibus Dei judiciis relinquamus necesse est, tamen ille in religionis negotio langvor, &, ut ajunt, indifferentia, ille neglectus Sacrorum, illa relaxatio Sacræ disciplinæ, illa sensuum, & illecebrarum studiosa, & affectuosa nimis consecratio, illa in abominationibus delectatio, tanta & sentiendi, & vivendi licentia, utinam aliis nostris etiam reatibus non adaucta, quam tristes spectamus, bellum dein cruentum tot annis perdurans, denique cætera temporum nostrorum adjuncta, qualium eventuum omina sunt? quid portendunt? an non? (o) (verbis horrificis Oseæ Prophetæ utor) quia ventum seminavimus, necesse est, ut turbinem metamus, quia aravimus impietatem, etiam iniquitatem metemus, & comedemus frugem mendacii. - - - Sinite, ut a divinis, quas meruimus, & juste timendas habemus, pœnis referendis abstineam, nam flere magis, & dexteram punientis Patris adorare, quam loqui libet.

Sunt hæc profecto, Fratres mei desideratissimi, & Filii dilectissimi! totidem causæ, quæ fervorem in nobis excitent, precationis amorem inflamment, & animum urgeant, ut non modo cum concione populi in cœlum clamemus, & publica suplicatione statis diebus defungamur, verum etiam privatis gemitibus, & lachrymis nostris justitiam Dei placare studeamus cum Machabæis postulantes, ut hæreditatem suam eripiat de inimicis propter testamentum suum, quod posuit in nobis, & propter invocationem Sancti nominis sui super nos, quod ut eo certius eveniat, *plangite Sacerdotes, ululate ministri altaris: ingredimini, cubate in sacco ministri Dei mei:* (p) *quippe invicta res est justa precatio, nec unquam voto suo excidit, qui sancte Deo suplicasset.* (q)

Reli-

(o) Oseæ c. 8. & 10. (p) Joel c. 1. (q) Constant. orat. ad Sanctorum cætum.

Digitized by Google

Reliquum esset, ut de orationis necessitate, & gravi hac obligatione nostra locuti, de ea precum ratione quæ horis canonicis continetur, pro coronide agamus. Verum cum ad vos venerandum Senatum, & reliquum Principis Ecclesiæ dilectissimæ Sponsæ meæ clerum, a quorum exemplo reliqui curæ nostræ commissi Sacerdotes, vigiles super grege Domini pendent, mihi præcipue sermo sit, nec dubitem, quin singuli vestrum de præstantia, utilitate, & fructu orationis in horas canonicas divisæ, deque stricto has recitandi præcepto, apprime persvasi sint. Ne vero tanto propriæ conscientiæ periculo, & onere de hac sacræ disciplinæ parte a vetustissimo Apostolorum etiam usu in legem relata leviter sentire in animum quispiam inducat, duo a vobis majorem in modum in visceribus Jesu Christi peto. Primum: ut opus Domini, qua decet dignitate ex animo agatis, verumque sit, quod psallitis in dies; *quam dulcia faucibus meis eloquia tua, super mel ori meo*, (r) alterum: ut, si quando in quemquam Sacerdotem hodierna cogitandi licentia seductum incideritis, qui de hac precatione levius sentire, & existimare sibi indulgeat, & nulla hujus obligatione se teneri præsumtuose dicat, hunc vos & exemplo vestro & verbis corrigere, ac a periculo vindicare ad fraternæ charitatis præceptum, & meritum referatis.

Agite jam Fratres mei, & Filii Dilectissimi! mysteriis sanctis hodie refecti, angelis Dominum continuo laudantium appropinquemus, & frequentia precum hinc divinam in nos, Fratresque nostros misericordiam humiles provocemus, inde a servitute terrenæ hujus compagis liberiores, & Spirituales efficiamur. *Nullo enim pacto fieri potest*, (s) inquit Chrysostomus, *ut qui solis radiis finitur, non effugiat tenebras, nec ulla ratione fiet, quin, qui cum Deo consvetudinem agit, desinat esse mortalis.* Ad felicissimum hunc statum perveniendi cum frequentia orationis rite peractæ universum aptum sit medium, certo aptissimum psalmodia, quippe quæ amicum cum Deo consortium, & consvetudinem maxime indicat, (t) ut Augustinus notavit; colamus hanc consvetudinem, & in voluptate habeamus, nunquam, si mente, & animo compositi accesserimus, sine utilitate recessuri; nam, ut ait Ambrosius, *in psalmis profectus est omnium, & medicina quædam salutis humanæ, Dei laus, plebis laudatio, sermo universorum, vox Ecclesiæ, fidei canora confessio* (u); quo autem magis multiplicantur publicæ calamitates, & fortius desæviunt, eo nos constantius & intensius ad Deum misericordiarum clamemus, donec vindicem ejus justitiam placaverimus, & paterna visce-

(r) Psalm. 118. v. 103. (s) L. 1. de orat. (t) In Psal. 65. (u) Præfat. in Psalm.

Digitized by Google

ra comoverimus. *Neque enim aut me, aut vos fugit*, clerum diœcesis suæ adhortando dixit Gregorius Nazianzenus, *quoniam mihi quoque Dei ministro & vobis, qui eundem honorem consecuti estis, præcipiat Dominus, ut cum ciliciis templum ingrediamur, ac diu, noctuque inter gradus, & altare pectora tundamus tum nostra, tum populi causa, intense, & prolixe clamantes, — — — & dicentes: Parce Domine! populo tuo, ne des hæreditatem tuam in opprobrium! Deum igitur, Fratres! omnes adoremus, & procidamus coram Domino, Ninivitas imitemur* .... (x) exaudiet nos, quoniam Dominus svavis, & mitis est, & multæ misericordiæ omnibus invocantibus eum: numquid enim in æternum irascetur nobis? aut extendet iram suam a generatione in generationem: imo vero invocatus remittet iniquitatem plebis suæ; & operiet omnia peccata eorum .... mitigabit omnem iram suam .... convertet nos Deus salutaris noster, & avertet iram suam a nobis .... dabit Dominus benignitatem, & terra nostra dabit fructum suum .... in hac fide, ac spe junctis assiduis, & ferventissimis precibus perseverantes simus. Fratres, & Filii Dilectissimi! Quantum erit in tam multiplici obsequio meritum! quam gratum Deo! quam ecclesiæ decorum, quam nobis & universo populo utile sacrificium ad animarum sanctificationem in Christo Jesu Domino nostro. Amen.



SEN-

(x) Orat, in plagam grandinis.

Digitized by Google